Ecchius Valent. De resurrectione Dominica Carmen. (s. tit. mutil.)

4 James I 69

1142

De Resurrectione Dominica Carmē:

ILLVSTRI AC MAGNIFICO DOMINO. dño ALEXIO THVRZONI de Bethlemfalua, Regalium Thauernicorum ac Cubiculariorum Magistro &c. pro munere Natalicio.

Per Valentinum Ecchium Lendanum Rhetum Bartphanæ Reipublicæ a Consiliis atq; a Libellis. nuncupatum adscriptum.

(Na końcu)

Impressum Cracoviae / per Hier. Victorem A.D. MDXXV.
lub A.D. MDXXXIV.
w 4tu kart 4

ILLVSTRI AC MAGNIFICO DOMNO Dño Alexio Thurzoni de Bethlemfalua, Regaliũ Thauernicorũ & Cubiculariorum Magistro &c. Dño suo gratiosissimo, Valentinus Ecchius, Salutẽ & obsequiorum commẽdationem optat.

Quartus iam agitur Annus, Illustris, ac Magnifice dñe Thurzo, quãdo pro læto ineuntis tũc Anni auspicio, Magnifice Dominatiõi tuæ, Apophoreticũ, de Salutifera Christi Natiuitate, obtuli carmẽ, quod meo iudicio illi tẽpori non inoportune cogruebat. Nunc autẽ cum liquido præuideã, mei esse officij, ut adparato Xeniolo, tuæ Magnificẽtiæ, hũc quoq;

AD ILLVSTREM AC MAGNIFICVM dominum dñm ALEXIVM THurzonem de Bethlemfalua, Regaliũ Thauernicorũ & Cubiculariorũ Magistrũ &c. de Resurrectiõe Dominica Carmen, Valentino Ecchio Autore.

Conuulsas Erebi sedes lætũq; triũphum
Victoris Christi, uenerandaq; festa diei
Paschalis, tenui celebrantem carmine Vatem,
Adiuta placido, Numen spirabile, flatu
Quando quidem sine te mortalis cura laborat
Inuanum, tua sola fouet nos ignea uirtus,
Intimaq; tacitis succendit pectora flammis,
Et recreat mentes uitali iugiter aura,
Qua duce spumosum nunc se diffundit in æquor
Paruula nostra ratis uentos habitura benignos.
Christus ut humanæ pro libertate salutis
Consumauit opus durum, mortemq; piauit
Morte sua nostram, sedem Phlegethontis opacam
Incontanter adit, cæcoq; in limine fixus
Subsistens, uestras clamauit tollite portas,
Atq; atras reserate domos gentemq; solutis
Redite captiuam uinclis, Acherontica monstra.
Vox ea letheas reboanti murmure sedes
Peruolitans, subito manes terrore profundos
Terruit, attonitus compresso Cerberus ore
Protinus obmutuit, se se properanter in imas

A ij Proripuit

Proripuit latebras plenus formidine Pluto
Cum Plutone canes Stygij, Lemureſq; fugaces
Tartareumq; genus reliquum ceu præpete motu
Aequoreas quoties uultur circumuolat undas
Illico diffugiunt anates fulicæq; marinæ
Merguntur q; uadis, uel ſe abdunt uilibus algis.
Fama eſt Tartareas pœnas, tormentaq; dura
Intermiſſa ſimul raptis formidine laruis
Sub procul obſcuras foricas, immobile ſaxum
Siſyphium ſtetit, in medijs nec Tantalus undis
Inter poma famem ſenſit, nec ſæua rapacem
Progenies Danaum lymphas ſuffudit in urnam,
Subſtitit Ixion, nec uoluebatur in orbem,
Eſtq; fibris Ticij requies conceſſa renatis
Tum ſemel in latebras rapto quoq; uulture cæcas.
Quid multis opus eſt, Chriſto ſubeunte profundi
Regna Erebi, impietas Furiarum protinus omnis
Concidit, atq; animis Lemures fugere relictis
Ocyus, ac quoties feſtinans forte uiator
Incidit in turbam coruornm turpe cadauer
Paſcentum fugit illa tremens, æſcamq; cruentam
Linquens, uicinum trepidis nemus inuolat alis.
Aſt numeroſa patrum ſeries, quos lymbus opacus
Detinuit longum clauſos crudeliter æuum,
Diruptis uinclis iubilante uoce ſalutant
Victorem Chriſtum tandem Rex maxime regum
Expectatus ades, feſsis ſuccurre, truceſq;
Pelle minas, remoue gemitus triſteſq; tenebras.
Annuit omnipotens genitor, ſedeſq; relinquens

Tartareas, uictor ſuperas emerſit ad auras
Agmine ſtipatus patrum, longo ordine feſſos
Vidiſſes, penes ibat ouans Adamus, & huius
Inclyta progenies, pietatis amator Abelus,
Et ſuperum implorator Enos, atq; integer æui
Maximus ille Gigas iuſſu qui numinis alto
Nauigio immenſam ſobolem furientibus undis
Eripuit, tripliciſq; genus per climata mundi
Diſperſit, Tum magnus heros cui funera nati
Iam meditanti aries ſacras offertur ad aras.
Inſuper eximia grauitate inſignis Iobus,
Quiq; Deum facie ad faciem, rutiloq; coruſcum
Igne rubum uidit Moſes, & ſanctus Aaron.
Et reliqui patres, quos enumerare Thaleia
Noſtra minus potis eſt, penes ibāt agmine denſo
Victorem Chriſtum laudantes carmine digno
O cunctis ueneranda dies, quæ nocte ſepultos
Innocuos patres, poſt tot lamenta preceſq;,
Deuictis Stygijs ducibus, produxit in orbem
Aethereum, lætumq; pijs afflauit honorem.
Hæc eſt illa dies, quæ nobis amplior imo
Splenduit e tumulo, nitido q̄ ſole refulſit.
Salue igitur præclara dies, quæ prima capacem
Hunc naſci mundū meruiſti cernere & ipſum
Abſterſa diræ penitus caligine mortis
Mundifabrum uicto rediuiuum ſurgere ab Orco,
Propterea a domino nomen dominante perhenne
Diua tenes, toto quod non abolebitur æuo
O celebranda dies, o terq; quaterq; uerenda,

Quæ quoties octaua redis cessare per urbes
Et per rura iubes operas, rauceq; fideles
Aere uocas ad temula uiros, illisq; ministras
Mystica Christigenas animas pascentia, liba,
Promis & ex alto diuinum pegmate uerbum,
Verbum quod uitam seruat, mortemq; relidit,
Verbum quod purum natura, & amabile, quidam
Spinosi & penitus furiati mente Sophistæ,
Nescio queis gerris, & plenis sorde lacunis
Hactenus attrarunt, illud quæ obscurius ipsis
Cimmerijs tenebris fecerunt, proh pudor, ausus
Fastosos, apicem minimum si tollere Christus
Atq; idem minimum prohibet nos addere iota,
Cur homines stolidi sensu, tam debile lumen
Vltra sydereas audemus figere sedes
More Gigantæo? tumidos confusio Nemroth
Terreat, & miseri casus Phaetontis acerbus.
Ast melius tandem iam nos sperare iubemur
Christicolæ, quoniam passim reuirescere terris
Incipit exoptata salus, uenerandaq; Christi.
Squallida flebilibus pulsis ad Tartara Elenchis,
Paulatim ueterem recipit doctrina nitorem.
Illam summe pater, dominator uictor auerni
Mentibus in nostris uitali munere firma,
Nec patere illisam scopulis succumbere nauem
Quæ tibi præduris toties agitata procellis
Per mare undosum constanter nauigat æquor,
Insuper alme parens, dextro qui lumine cuncta
Aspicis & cassas humili de pectore fusas

Non finis